



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LXII. Hominis docti & pij, sub mortem, à tentatione superati, meritò omnibus tremendum morituris exemplum proponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

682 Cap. LXII. Nec pios debere esse de sua perseverantia securos.

nuntiauit: Tria potissimum flagitia homines in perniciem trahere: superbia, luxuriam. & auaritiam; sic tamen, ut per Sacramentum pœnitentia ex 100. superbis facile ad 50. ex 100. luxuriosis ad 80. ex 100. vero auaritis, vix tres saluentur, idq; ob annexam restitutionem, que difficillima accidere solet. Notum est autem illud: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. His omnibus addo ultimam classem eorum, qui salutem suam flocci facientes, vel semper assuescant in vetera peccata relabi, vnde & in ultimo agone, etiam confessi, in odium & vindictæ appetitum, in delationem Venereum, in blasphemiam relabuntur; vel certè non curant, ut vigilantes aduentum Domini expectent, sed toto anno non confitentur, immò toto quinquennio, decennio, & tempore longiore. Hiac, sine pœnitentia, in fluminibus aut mari demerguntur; hinc in ebrietate lapsi cœruicem frangunt; hinc ferro vel plumbō traiiciuntur, & repentina morte occupati, antè se æternū damnatos, quām ferè mortuos reperiunt. Cuius id culpa accidit? nonnē ipsorummet? Nam Christus fideliter monuit: Vigilate, quia nescitis, quā horā Dominus vester venturus sit. Quæ monitio tantò attentiùs est obseruanda, quia etiam pijs, & doctis perseverantia non est promissa.

Matth. 24.42.

C A P V T LXII.

Hominis docti & pij, sub mortem, à tentatione superati, merito omnibus tremendum morituri exemplum proponitur.

I.



VEET nos Sernuator monendo & corripiendo fratres nostros lucrari, quorum unus, ut generosus equus filo, aut virgæ umbrā, vel nutu, vel verbo se sinit regi ab altero solo; alius qui, ne feratur in vitia, freno; atque ut ad virtutem impellatur, calcaribus indiget: ac, ut pertinacibus caballis progredi nolentibus ignis subiicitur, ita Acheronticis flammis est excitandus. Quare cùm illi unus medicus non sufficiat, ad

Matth. 18.16.

dit Christus, Si autem te non audierit, adhibe adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod & ego nunc faciam. Nam historiæ à me recensendæ, ac fidei illius

lius, apud dubitantios, stabiendæ, tres dabo testes, eosque integratos, incorruptos, religiosos. Primus est Petrus Barocius Episcopus Paduanus, qui tres libros scripsit ediditque, de modis se se lib. 2. de præparat. ad mortem præparandi, author æquè doctus ac pius. Alter testimoniem. Augustinus Viuus Augustinianum Ordinem professus, Augustin. VI. qui lingua Italica librum de studio veræ sapientiæ in lucem misit; in quo etiam D. Antoninum citat, qui meritò pro tertio te- veræ Sapientiæ. part. 4. ste potest admitti. His si non sufficiunt, adduco testem quartum, cap. 9. omni exceptione maiorem, eminentissimum Cardinalem Rober- Bellarm. I. 2. tum Bellarminum, qui non dubitauit eamdem historiam, tam- de arte bens quam verissimam, in exemplum, calamo describere, libroque suo inferere. Hos autem testes non eò tantum collegi, vt rei au- thoritas concilietur, sed etiam, vt (quia singuli compendijs vtuntur, & alij alia omitunt, alij alia referunt) constet, quid scribant vniuersi, neque, quod apud vnum non reperitur, ego autem ex alio habeo, videar meo ingenio affinxisse. Quamquam, quod Tacitum aliosque profanos Authores video passim facere, atque meo instituto maximè seruit, mores & documenta ex of- ficio sim additurus. Historiam igitur ordior, quâ docentur mo- rientes esse cautiiores.

Paduæ, in celeberrima tunc Academia, aliquando, inter varios atque insignes, tum studiosos, tum Professores, duo maxime viri eminuerunt. Quatuor sunt, quæ in Academijs faciunt eminentes, diligentia, ingenium, eruditio, & pietas. Ha- beat ingenium aliquis, sicut Aristoteles; si desit diligentia, erit sicut gleba bona, sed inarata, in qua, vice frugum, spinæ cre- scent. Sit in aliquo diligentia, qualis in Cleanthe fuit; si careat ingenio, erit sicut qui domum ædificat in arena, aut sine funda- mento, dies, & annos, oleum & operam perdet. In his duobus viris utrumque fuit coniunctum, vt ingenium diligentia exco- leret, & industria in saxis non seminaret. Quare neque fructus fuit desideratus. Nam, vt plerumque fit, eruditio respondit la- bori. Sicut enim militis præstantia, in congressu cum hoste se se exerit, ita istorum doctrina eluxit in publicis actibus Aca- demiæ. Nemo illis acutius, nemo clarius disputauit. Illorum aduentu omnes exhilarabantur; illorum argumentis omnes do-

II.

Rrrr

ceban-

cebantur; adeò, vt, Petro Barocio teste, communī fama dicētur, non posse excellentiores, in tota Vniuersitate, reperiſſi diſputatores. Quid est autem doctrina ſine virtute? Gladius in manu furioſi; dens fulmineus in ore apri; telum ad nocendum, non ad defendendum emptum. Virtutis expers, ſi ſit doctus, eſt armata impietas; mel in veneno. At non tales erant iſti, & pia eruditione, & docta virtute, apud omnes, clari. Nam, inter multas atque eximias virtutes, singulari pietate & vrbem, & Academiam illuminabant; neque vſpiam, niſi aut in templo, inter rem sacram; aut in Lycéo, inter Doctores; aut in Muſaeo domi inter libros conſpiciebantur. Hos ſimilitudo ingenij, doctrinæ, & morum facilè conciliabat; vt nulli ijs eſſent, inter ſe ſe, amiciores. Solo domicilio diſtungebantur; cetera omnia erant illis communia, libri, sermones, mensa. Dixiſſes, in dupli ci vultu, tamquam in Iano quodam, vnum animum habitare. Dixiſſes Pyladem & Orestem conueniſſe. Dixiſſes Castorem & Pollucem ex eodem ouo prodiſſe. Dulcis res eſt amicitia, ſed quò dulcior eſt coniunctio cum amico, eò amarior jactura, ſi ab eo ſepareris. Quod etiam hiſ contigit; nam quos nulla ſuſpicio, nullus fuſurro, liſ nulla vñquam ſejunxit, mors diuulſit, quæ vñum eorum rapuit. Luctum tamen ſuperftitio mitigauit, memoria innocentia, & vitæ, in defuncto, æternā gloriā digna. Quid enim non ſperare jubeat, tanta precum affiduitas? caſtimonia? rerum diuinarum amor? ac denique mors ipſa talis, qualis à quolibet Christiano eſſet optanda; ſi, quæ oculis cerni poſſunt, aſpiciantur. Nam omnibus vñque Sacramentis diuina munitus deceſſit; ſiquidem peccata confeſſione diluit, ad futurum iter viatico, ad luſtam agonemque extreum oleo ſacro inſtructus. Ob hæc talia ſodalis illius credidit, animam eius ex ore ad cælum, rectis lineis, euolasse. Nec ſodalis dumtaxat, ſed ceteri quoque omnes eiusdem opinionis extiterunt. O tremenda Dei judicia! cùm iſ, qui in vita reliquus erat, domi, in ſua Bibliotheca, ſolus ſederet, diuinisque litteris operam daret perſcrutandis (erat enim Theologus) adiuit inopinatō defunctus ſolā facie noſcendus; & vête: nam

Eofdem

Eosdem habuit secum, quibus est elatus amictus:

Eosdem oculos; lateri uestis adusta fuit.

Quid dico, adusta? flammis vndeque, velut è furno erumpentibus, incendiaque longè & latè spargentibus formidanda. Externauit videntem tam miserandi amici spectrum, diuque metu obmutuit. Sed tandem, remigrante animo, desiderioque succurrendi, Effare, inquit, amicorum optime, quanam ista facies? aut que cauissa tam dira patendi? & quo usque sé sé hi tui cruciatus extendent? quis nre te tuis supplicijs eripiendi est modus? que ratio? si eleemosynis potes junari; si lenari precibus; si liberari jejunis; si curari peregrinationibus sacris, indica; nullis pecunijs parcam; noctes disisque, pro te DEV'M precabor; pane & aqua contentus vitam traham; ad limina Apostolorum; ad D. Iacobum, ad Domini nostri sepulchrum, trans ipsa maria, proficiscar. Amaui te semper, amorem meum mors tua non extinxit: nec terminus ullus mea positus est charitati. Hæc vbi dixit: alto suspirio ignitus Spiritus ingens in eiusmodi verba, lamentabili voce, erupit: Omitte eleemosynas, pro me effundere; preces tuas, ac jejunia tua tibi seruas nihil efficies, si usq; ad utramque pro me Indianam fueris peregrinatus. In eo statu sum, ut hac omnia nihil me amplius possint juuare. A iusto judice DEO, ad atrocissimos ignes damnatus sum; quorum tam omnium atrocitatem tolerabilem arbitrarer, si, post mille eos saltem annos, sperarem finiendos. Si calidioris, in estate, solis flagrantiæ censes omnibus modis vitandam, cogita, quid sint mille in ignibus anni? Et tamen hos patienter ferrem. Quid dicam, mille annos?

Nosti quid dicat Christus: Ite maledicti in ignem aeternum. Nescit Matth. 25: bic ignis finem. Tam diu durabit, quam diu DEV'S erit. Adeò extitit, ut si damnatus totis mille annis vel unicam lacrymulam funderet, plus aquarum effusurus esset, quam à condito orbe, per Panduanam descendit; quam Oceanus occupat; quam ipsum totum hoc Vniuersum usque ad firmamentum posset continere. Eternum, aeternum! sola hac aeternitas, res est adeò formidabilis, ut, si omnis illius pena non maior esset, quam musca morsus, tamen intolerabilis esset. Nunc cum ignis ibi & omnis confluat cruciatus, meritò praillo eligenda essent omnia huius vita tormenta. Quisquis hic miser est, ad breue tempus miser est: quisquis in inferno miser est, aeternum est miser:

Rrrr 2

ser:

Matth. 25:
Ludouic.
Granat. lib 1:
Ducis pecc.
art. 10.

686 Cap. LXII. Nec pios debere esse de sua perseverantia securos.

ser: sine fine est miser, miserrime est miser. Postquam ibi aliquis mille annis fuit excruciatus, nondum est finis: immo postquam millies mille

annis fuerit tortus, nihil adhuc ademptum erit de aeternitate. O aeternitas! o aeterna aeternitas, quam longa es? quam raro ab hominibus expenderis? Quid te verbis potest explicare, o aeternitas? Cogita mille annos; cogita millies mille annos; cogita tot annos, quot temporum momenta, a condito orbe, ad interitum eius fuerunt & erunt,

Adamus
Sasbout. hō.
Dom. I.
Quadrag.
Apos. 14. 11. adhuc nihil erunt cum aeternitate comparata. Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum. Quid est, in secula seculorum? Vellem dicere, non possum dicere. Quam diu DEVS DEVS erit, erunt & illa tormenta, qua verbis explicari, aut mente concipi satis numquam possunt. Va nobis nunc & in perpetuum: va nobis, qui nati sumus, & mori non possumus. Mors hac est sine morte; finis sine fine; vita sine vita; quia a DEO, & ab aeterna vita separata est; separata ab Angelorum & Beatorum omnium societate; conjuncta cum diabolis & omnibus damnatis. Ubi aeternus dolor; aeternum va; aeternus fridor dentium; aeternum punitere; aeternus clamor, nemine exaudiente: aeterna desperatio. Nam si vel ullus Arithmeticus posset tantum numerum reperire, qui paenam nostram terminaret; iam summo nos gaudio afficeret: sed post centum millia milliones non finientur anni aeternitatis. Si tot millions essent, quot arena maris, tamen finis posset sperari: nunc etiam post tot annorum millions, nihil adhuc demptum erit de rota nostra aeternitatis. Si nobis a DEO concederetur, vel ipsi Mundo pars mons, aut etiam ipsum calum excedens, de quo, post decies centes millies annos, auicula arenulam minutissimam, qua vel decima milij pars esset, auferre posset; Speraremus tandem, montem, & cum eo paenam nostram exhaustum iri; & magnas DEO gratias ageremus. Sed actum est. In ignem aeternum missi sumus. Heu mihi, heu mihi!

III.

Exod. 17. 7.

Hoc tam terrifico supplicio auditio, absque dubio Lector, cum damnati istius amico, scire volet causam damnationis. Quam damnatus diserte exposuit, sed ut diuinæ justitiae vis tanto clarius intelligatur, aliquid præfundum mihi est de tentatione. Elicuit Moyses e petra Horeb aquam, & vocavit nomen loci illius Tentatio, propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Estne' Dominus in nobis, an non? Totus Mundus

dus dici potest *Tentatio*, ob duas cauillas. 1: quia in eo omnia sunt tentatione plena. Vnde S. Antonius vedit omnia laqueis & retibus obducta, dixi: que, *Quis euader laqueos istos?* & ipsa scriptura ait: *In medio laqueorum ingredieris.* 2. Quia cum tanta sit *Ecli. 9. 20* ignoratia mortalium, videntes has tentationes, tentant Domum, dicentes: *Estne Dominus in nobis, an non?* & iniquum putant esse, quod tentationes permittat? At aequitas huius permissionis in cauillis reperitur. 1. Nullus decernitur triumphus sine victoria; nulla victoria obtinetur, sine pugna. Pugnandum est, ut vincas; vincendum, ut triumphes. Quoniam ergo *militia est vita hominis super terram*, instituta ad eternos triumphos prometendos, necesse est pugnare, & vincere tentationes: quas etiam diuina sapientia permittit, ut orando ad eius auxilium confugiamus, & quotidie dicamus: *Ne nos inducas in temptationem:* ut *Matth. 5. 13* gratiae diuinæ efficacitas magis eluceat; ut virtus exerceatur; ut merita vincentium cumulentur; ut cautiū ambulemus: ut alijs compati discamus, sicut & ipse Christus tentatus est, ut *infirmi- Hebr. 4. 15* *tatibus nostris compateretur:* ut nos virtute, contra tentationes, armaremus, easque oratione & jejunio præueniremus, quibus modis & Christus eas præuenit, in deserto, & discipulos suos docuit esse præueniendas, dum dixit: *esse genus demoniorum, quod non nisi jejunio & oratione pellatur.* 2. Duce in acie versante, turpe est militi pugnam detrectare. Si ergo Christus, non tam *Matth. 4.* tum tribus illis vicibus, per tres externas & spectabiles tentatio- *Marc. 1. 13.* nes, sed etiam inuisibili modo, quadraginta dierum decursu va- *Luc. 4. 2.* riè fuit tentatus, ut ex S. Marco & Luca aduertit D. Thomas: D. Thom. quis nostrum se putet aut immunem esse debere, aut securiorem? *3. p. q. 1. 2. 3.* *ad 2.* 3. Hinc ipsi Angeli in cælo tentati, quam gloriose vicerunt, alijs cum dedecore cadentibus? Hinc Abraham, Isaac, Iacob quot pugnas habuerunt? quis non laudat Iosephum, à fratribus primò, à Putiphari vxore postea, hoc est, à domina sua tentatum grauissime, sed gloriose vincentem? quam insigne est exemplum Susanna? vicit temptationem, etiam præsentissimæ mortis infamissimæ periculo spreto. Est & in Paulo exemplum, cui *datu*s *2. Cor. 11. 7.* *stimulus carnis*, sed sufficit *gratia Dei.* 4. Igitur, longè securius, sub Christi vexillo, militatur, quam sub quocumque peritissimo

R. 111 3 belli

688 Cap. LXII. Nec pios debere esse de sua perseverantia securos
belli duce, aut Alexandro. Si miles certus esset, sub hoc aut illo
duce, se toties vincere posse, quoties ipse vellet, quam libenter,
sub tali duce stipendia facheret? at nullus alias dux potest eam
virtutem militi suo dare: solus Deus potest, & vult dare, & dat:

3. Cor. 10. 13. qui non patietur nos tentari supra id, quod ferre possumus: sed faciet
S. Basili, in etiam cum tentatione proximum, quia fidelis est. Et D. Basilii ait:
Const. Mo. Qui a Deo se optat juuari, is numquam deserit, quod se addebet offi-
naist. cap. 2. cium suum; qui autem hoc facit, is diuino auxilio numquam destitu-
Tob. 2. 12. & tur. Quapropter danda in eo opera est, ne ulla in re conscientia nostra
12. 13. nos condemnent. 5. Permittit temptationem, non solum, ut Iobum
Rom. 1. 26. aut Tobiam, velut aurum in fornace prober & purget; sed eti-
am quia multi, sua culpa aut contumacia merentur, ut propterea
tradt illos Deus in passiones ignominia.

I V.

Ob has caussas, supradictus damnatus, se quoque permis-
sum tentari dixit. Cum jam essem in extremis, inquietabat, venit ad
me tentator, & quia scivit me Theologum (nam & iste Theologus
erat) excellentem esse, interrogauit me, quid crederem? Respondi, me
credere, quod in symbolo fidei doceretur. Mox ille instituit, ut quosdam
ei articulos obscuriores explicarem. Parvi, & Apostolorum symbo-
lum, per symbolum S. Athanasij sum interpretatus. Haud enim cla-
rius exponi posse arbitrabar. Sed ille non acquiescens ait; Non est ita: non
enim Deus tam diu Pater, quam diu Deus fuit; sed prius Deus, &
postea Pater existit. Exclamaui, ait damnatus, & protestatus sum
hanc hereticam simul & diabolicam esse doctrinam. Ad que satan:
Non clamoribus, ait, sed argumentis est agendum, si ad veritatem quis
velit peruenire. Quid ego hic sentiam, facile exponam; ad qua simili
responderis solide, magno me errore liberabis. Hic jam cognoscite,
quod, scientiam inflatum, superbia ducat. Coactus est enim dam-
natus ipse suam socio damnationem eiusque caussam indicare,
in hunc sensum. Quia, dum viuerem, nullius formidaii disputationis
congressum, persuasi miki, ita me esse versatum, ut vel cum ipso
sacodemone possem asauderem de SS. Trinitate disputatione, non secus ac
cum homine quoniam. Ille autem gryphis ac sophismatis suis ita in me
Scripturas sacras, ita rationes versatas, ita intricata argumenta con-
torsit; ut paulatim dubitare inciperem, ac demum in enm precipita-
tua sim errorem, ut neq; Filium amplius, neq; Spiritum sanctum, cre-
derem

derem esse Deum. Ita seductum mors oppresit; & diuino stitit tribunalis; ubi tamquam hereticus aeterna damnationis sententiam, a justissimo judice accepi. Dixit, & ex oculis amici euanuit.

Qua in re se diuina bonitas patefecit: nam, quæ Epuloni illi non concessit, ut ex mortuis vnu ad quinque illius fratres mitteretur; hunc ex ipso Orco ad socium misit, qui admoneret. Vbi & illud ferè impletum est; *Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur;* vt relictus sit stimulus assumpti. Quippe superstes alter, partim socij jacturâ, partim spectri tam diri suppicio ac confessione perculsus, rem non solùm secum, sed etiam cum intimis quibusque amicorum consultandam ratus, communis omnium sententia statuit; fidem Ecclesiæ Catholicae & renouandam animo, & exercitio assiduo iterandam. Paulò pòst cœpit & ipse ægrotare, in quo morbo etiam obiit diem suum. Sed & ad illum jam successu audacior venit cacodæmon, eumque interrogauit, quid crederet? Respondit, se credere, quod crederet mater Ecclesia. Instat hostis: Quid ergo credit mater Ecclesia? Respondit Ecclesiam credere, quod ipse; & se, quod Ecclesia crederet. Ita, præsentibus alijs, usque ad extremum spiritum, velut per circulum, trahebat cacodæmonem. Paucis diebus elapsis eleganti forma, & vultu radiosè beatus apparuit ijsdem suis amicis, atque illis pariter, pro salutari consilio, & Numini pro facta per damnum admonitione gratias egit. Addit Augustinus Viuus, apparuisse & damnatum, ac deplorasse suam superbiam, quæ eum scientiâ fecerat potius atque ingenio niti, quam fide & humilitate, qua hortatrice, Confessario & alijs, si tentationem detexisset, dæmonem vicisset. *Ua soli, quia, cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Alter stetit, *Eccle. 4:10.* quia nixus Ecclesiæ autoritate fidem suam supra petram ædificavit. Sapuit iste alieno damno, utinam & nos ita sapiamus! Nemo præsumat de ingenio, nemo de doctrina; nemo sibi aut diabolo nimium fidat. *Qui stat, videat, ne cadat: oret, ne intret in tentationem.* Qui vicerit, ei manna dabitur; &, sicut post vietas tentationes Christo, Angeli ministrabunt. At pro dolor, eò deuentum est, ut paucissimi putent se tentari. Nemo periculosis tentatur, quam qui nescit, se tentari: cauentur, quæ præudentur,

V.

Luc. 17: 34.

1. Cor. 10: 12.

Matth. 4: 4.

890 Cap. LXIII. Cur alij bonū, alij malum vita finem consequantur
dentur, plures trahit fossa occultata. Causa est quod tam mul-
ti non sentiant se tentari, quia malum ad quod trahuntur, bonū
esse judicant, & semper consentiunt tentatori. Qui semper in fri-
gore est, nihil frigoris sentit; at qui è calido balneo exit, vel au-
ram etiam horret frigidorem. Sic pij, & charitate astantes,
sentient quidquid est cōtra Dei charitatem: illi autem, in quibus
refixit charitas, nihili faciunt quidquid demum offendat chari-
tatem. Vbi dæmon sagis stigma suum impressit, nihil dolent,
etiam si ferrum illuc immergatur: ita, qui sunt diaboli, non asti-
mant diaboli plagas. Primum remedium est temptationis, agno-
scere temptationes. Alterum, se ante pugnam exercere. Existi-
mas, miser, te non tentari? Offert tibi orcus Mundum & glo-
riam eius; offert alta & honores; offert panes, immō carnes in
quadragesima, & non tentari? Deseris DEVM & homines vt
conserues reputationem; juras, peieras, vt decipias lucri causas;
& qui in honestos motus ieconijs frangere deberes, carnem carne
pacis, vino irrigas; nec tamen putas te tentari? Nulla dies, nul-
la hora it sine tentatione, & non sentis te tentari? Certè ultimā
horā non eris sine tentatore, tentabit Mundus, tentabit caro,
tentabit diabolus, tentabit antiqua consuetudo. Quod si ergo
Theologus tam doctus, tam pius, est superatus, quid tibi in fide
tentato continget, qui ita rudis es, vt nec scias, quid sit creden-
dum, nec id legendo, audiendouē discere sustineas? quid tunc
facies miser, cūm spurcæ suggerentur cogitationes à carne; cūm
vindicta & odium inimici in mentem venerit? cūm diabolus
suggesserit desperationem; quibus iam non modò non assuefci
resistere, sed vltro annuis? Ah, miser, relipisce cum secundo
Theologo, ne damneris cum primo.

C A P V T . L X I I I .

Quare DEVS alios, qui diu bene vixerunt, male; alios,
qui malè vixerunt, bene mori sinat?

I.

 Ccvrret hīc plerisque cupiditas audiendi, quamob-
rem nonnulli, qui diu sanctissimè vitam duxerunt,
tandem tamen à D̄o permitti sint labi in graue pec-
catum;